MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS III: 1.5. 1.7.)

Melk, 1458

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36452
Copyright: Melk, Benediktinerstift

signaculo xpi filii dei se muniens
quia filius tuus xpm illum crucifixum in
iudea confitetur. et deos nostros deridet. iube
ergo eum ad me adduci. Et dum adductus
fuisset infans ad presidem: sedens preses
pro tribunali. interrogauit eum dicens.
Quare non sacrificas diis? Aut nescis
quia principes iusserunt. ut si quis inuentus
fuerit illum xpm colere. diuersis penis
interficiatur. Beatus uitus securus et spiritu sancto
repletus: non trepidans neque timens.
aperuit os suum dicens. Ego sculptilibus
et lapidibus numquam consencio: sed habeo
deum cui deseruit anima mea. Tunc
uidens hylas sic eum persistentem in fide:
exclamauit uoce magna rogans ami
cos suos dicens. Plangite mecum. quia
uideo unicum filium meum perire. Sanctus
uitus dixit. Ego non pereo. si possum congre
gacionem iustorum introire. Valerianus
dixit. Nisi quia nobili genere natus es:
et amicicia patris tui me retinet: iussis
sem te fustibus cedi. Adquiesce ergo et sa
crifica diis. Sanctus uitus dixit. Semel tibi
dixi preses. xpm adoro filium dei. Iratus
autem ualerianus: iussit infantem catomis
cedi. Qui autem manum miserunt ad infan
tem: statim brachia eorum arefacta sunt.
sed et manus presidis arefacta est. Clama
bat preses. manum perdidi. torqueor dolore.
Tunc uocauit hilam patrem eius dicens
ei. Tu filium non habes. quia uideo ma
gum esse. Sanctus uitus dixit Magica
mea xpus est. qui me docet omni die
mandata sua. cuius ope repletus sum:
qui mortuos suscitauit. et pedibus suis
super mare ambulauit: qui imperauit
uentis. et cessauerunt a uiolencia sua. ego
ipsius seruus sum. Si autem possunt dii
tui. faciant manum tuam sanam. Valeri
anus dixit. Tu autem fac. Sanctus uitus

dixit. In nomine ihesu xpi facio. Et statim
manum suam homini reddidit sanam.
Tunc prefectus consignauit eum patri suo
dicens. Vade emenda filium tuum ut qui
escat et sacrificet diis et non pereat. Tunc pater
introducens intra domum filium suum.
multis deliciis et mollibus uerbis suade
bat in cymbalis et cytharis ut complaceret
eum: et ornatas ancillas suas saltare ante
eum fecit. Ille autem oculis celum aspicie
bat dicens. Cor contritum et humiliatum
deus non spernit. Et iussit cubiculum orna
ri diuersis lapidibus preciosis. Et cum ingres
sus esset in cubiculum: iussit pater eius clau
di cubiculum. Beatus uero infans ge
nua flectens: deprecabatur dominum dicens.
Deus abraham. deus ysaac. et deus ia
cob miserere mei. et confirma me in uir
tute tua. ut non preualeat draco iniqui
tatis aduersus seruum tuum: ne dicant gen
tes ubi est deus eius? Fulgebat autem
cubiculum quasi xii lampades ardentes.
et factus est odor quasi aromatis preciosi.
Repletus pater et familia dicebant. Ta
lem odorem numquam meminit etas nostra.
Hilas pater eius dixit. Dii uenerunt
in domum. Et eleuans se per fenestram
intendebat in cubiculum fulgens. et capti
sunt oculi eius: et uidit septem angelos
stantes circa infantem alas habentes
sicut aquile dicentes. agyos agyos.
Et statim excecatus est hylas. Tunc
beatus uitus orabat pro patre suo dicens.
Deus heli xpe fili dei qui natus es de
spiritu sancto ex maria uirgine. ne me separes
a patre meo. sed iube eum congregari in au
la sancta tua. Ille autem plenus dolore clama
bat. Ve mihi. quia perdidi lumen oculorum.
Et factus est clamor ancillarum. domini
sui plangencium. Commotaque est ciui